

*veniens de l' une repondent a ceux de l' autre, avec une entiere Symmetrie.* Hæc est sententia Viri ab omnibus eruditis æstimatissimi, de Leibnitii Harmonia præstabilita.

Fateor, has rationes me retraxisse, quò minus sententiæ Leibnitii accesserim, maxime cum intelligerem, nec operationes divinæ gratiæ, nec libertatem humanam, nec mali permissionem ex ea explicari posse.

Præterea assumunt Harmonistæ, & nulla ratione probant, possibile esse corpus, quod propria sua virtute exequatur, quicquid anima in se vult. Sed existimo, tale corpus non esse possibile, quia sanctitati Dei non convenit, creare corpus ea intentione, ut pravas volitiones mali hominis exequatur. Nec concipitur, qua ratione ab ipso corpore fluidum nervorum in actionibus artificialibus determinetur. Nec tale corpus sapientiæ divinæ convenit, hæc enim semper agit via brevissima. Longe vero brevior est via, si anima membra corporis movet, quam si innumeris & incomprehensibilibus pulsibus & motibus occultis movetur.

Leibnitiani porro assumunt: animas esse specula universi, & in certa serie perceptiones rerum ex se ipsa evolvere, & sibi præsentare; quas alii Philosophi per organa sensuum in animam venire dicunt, & experientia probant. Sed si anima profu in mundo sibi ipsi res repræsentaret, sine dubio pro-